



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Secundus. Quod si mysticus ad status supernaturales transire nequeat, in inferioribus ordine promiscuo sese perfectius semper exerceat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

mystica vita insignes viros quosdam pluribus a annis desudasse, antequam vel ad cognitionem, vel ad praxin statuum modi supernaturaliter operandi, pertingere potuerint. quin imò non fore tutum, antequam ea, quæ in statu priuationis b habentur, si non omninò saltem aliquo modo practicata sint, ab ulteriori & perfectiori modo operandi, desistere c [nunquam enim debemus à sacro veritatis amore deserere; sed dare operam quam maximam possumus, vt ad eam continenter, ac semper nitamur, quærentes semper quod nos ad maiora diuinitatis munera perducatur] quamuis [sentiat cælum d de super æneum, dum nullam deuotionis, velut roris cœlestis stillam pulsando in oratione percipit; & terram cordis sui ferream, dum nullo psalmodum, vel orationum irriguo, ad fructum compunctionis emollitur.

Eapropter diutino conamine contemplator, ad vteriores status seipsum promouere studeat, & quidem [suauissimis, atque amabilissimis, quæ quidem excogitari e poterunt, verbis alloquendus est Deus in hunc videlicet modum. Utinam ô amantissime, & vnicè dilecte, dignus forem inter charissimos amicos tuos annumerari; teque in anima mea amplecti, & vel centies millies osculari, totumq; te intra me circumplecti, ad còque in intimis meis recludere, vt te nunquam amittere possem] pro quo quidem [roga f dari tibi de-

uotionis lumen, diem serenissimum, & sabbatum mentis] quid autem facientem sit illis, qui vtiliter tota vita in statibus hucusque expositis permanere habent, consequenter dicetur.

Quod si mysticus ad status supernaturales transire nequeat, in inferioribus ordine promiscuo sese perfectius semper exerceat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

VNusquisque debet circa diuinum radium ita moderari seipsum, vt nec per ignauiam, ab illius excellentia decidat in deterius: neque tendat vterius per superbiam, ibi quidem sanctitas; hic autem temperantia lucet. itaque conatus ille non ideò diutinus esse debet, vt aliquis se statibus ingerat sublimioribus vltra sortem; sed ne tepori, aut negligentia locus detur, vtque depuratus ad supernaturales modos transeat; aut longæ patientia, & resignationi satisfaciens, æquè conformiter ad Dei beneplacitum in inferioribus persistat, vt ad maiora transiret. Cum ergò quotidiana experientia manifestum sit, plures mysticos, etiam multorum annorum curriculo ad status supernaturales g non peruenire, quin imò subindè satis perfunctoriè tam dies vitæ, quam tempus orationis mentalis absoluerent.

Hinc est, quod præter ea, quæ muneris sui esse nouerint; (ne omninò ab inferiori

a 2. p. Dec. 2. a. 8. b Inf. 2 p. Dec. 2. c S. Dion. de Eccl. Hier. c. 2. d S. Bern. epist. ad Frat. de Monte Dei. e Taul. serm. 2. Dem. 17 post Trin. circa f. f S. Bern. serm. 3. de Circumcis. g Vt dictum 2. p. Dec. 2. a. 8.

teriori recollectione defleat, aut etiam quoquo modo sibi in bonum auxilio esse desistant) singulari diligentia retinere habeant quod quando dicitur ad priora exercitia, & status retrocedendum, hoc non ita intelligendum esse, quasi de nouo à meditatione incipere debeant; sed quod perfectiori modo, ea quæ meditationis, aspirationis, & contemplationis sunt, repetere valeant: & modò aliquo mysterio redemptionis, modò aspirationis, subtili celeritate, modò etiam contemplatione attributorum, aut ipsius Diuinitatis, modò colloquijs plangentibus propriam vilitatem, infidelitatem, alijque vim irascibilem excitantibus, internam recollectionem, & amorem tum acquirere, tum fouere habeant. eo enim sine mysticus ad summum contemplationis ascendit, qui ad vltiora status non transit, vt dein promiscuo ordine, momo, exercitio, & magis illuminato iudicio, ea quæ prius, vt paruulus atrectauerat; tandem clariori intellectu, & promptiori voluntate intimius perlustrare valeat; toto vitæ tempore penitenti simili operationum lumine, & dilectione, mystico instituto satisfactorius; cum omnis sermo Dei ignitus, a clypeus sit omnibus sperantibus in se. à qua quidem strenuitate deficiunt miserrimè, qui aliquod mysterium redemptionis meditari, aut aspirationum renouatione internam recollectionem pro-

mouere respuunt; ne contra statum contemplationis, aut propriam dignitatem quidpiam committant, si ad inferiora vtiliter se dimitterent; quasi verò contra statum contemplationis, & ipsorum dignitatem non sit, antiquam etiam caluitiem, & canitiem multa vanitate discriminatam, spiritu pietatis nudam, imperfectionibus (si non vitijs) splendidam sepulchro inferre. Et hic defectus, vt magis notetur, & quilibet suum præstet, consequenter amplius inculcatur,

Vt mysticus quoquo modo, defectus corrigere, tentationes superare, & virtutes exercere studeat.

ARTICVLVS TERTIVS.

INnata & radicata illa originalis corruptio, tantò amplius animum ad caduca sæculi pertrahit, quantò prius per altiores mysticas degustationes perfusum; postmodum verò ex proprijs immortificationibus magis vacuum, & spiritali torpore languidum, inuenerit; in tantum, vt cum talibus [centuplo peius bagatur, quam cum communibus sæculi hominibus] Ea propter vbi defectuum, tentationum, ac vitiorum aculeos contigerit sustinere; si eiusmodi insultibus contemplatione diuinorum attributorum ad intra V. G. bonitatis, sapientiæ, potentia, &c. vel absoluto diuinitatis conceptu, puta essentia, superior non euadat;

ad

a Proverb. 30. b Taul. Dom. 4. Quadrag. serm. 1.